UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nicolai Revsneri Leorini Silesii Etesiae, siue Apinae Therinae

Reusner, Nikolaus

Lavingae, 1581

VD16 R 1419

VII. Ad D. Ernestum Marchionem Badensem, Caroli F.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12434

Visual Library

Sic latebras cerui pariter, ceruæque relinquunt:
Agmina ſic glomerant puluerulenta fuga.
Pars ferro, plumboúe cadit: pars plurima prædæ
Incidit in caſſes exagitata ducum.

V.

D. Philippo Marchioni Badenſi. PH. F.

Ille bonus princeps, & rex eſt dignus honore:
Subdita cui, non quem turba, PHILIPPE, (timet.

VI.

Ad D. Ludouicum Principem VVirtebergicum, & Teccium.

Qui princeps vult eſſe bonus: Patriæ Pater ille
Sit bonus: & gentis cura, ſaluſque ſuæ.
Perfugium populi LVDOVICVS nomine fer- (tur,
Si modò Germanæ vocis origo placet.
Sic tu perfugium populi jam grande futurus:
Auſpicijs Patris hoc nomen, & omen habes.
Magna ducis virtus: ſi ſit fiducia gentis,
Ac portus populi, confugiumq́ue ſui.
Dij precor hoc jubeant: & ſoſpite prole virili,
Dent Pylios æquent vt tua fata Dies.

VII.

Ad D. Erneſtum Marchionem Badenſem, Caroli F.

Militia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Militiæ ſpecies venatio dicitur eſſe,
Præludiumúe Martis.
Militat at malè, qui luxu modò corpus, & otio,
Ignauiaúe frangit.
Militia eſt labor: & Mars duro milite gaudet:
Perit otioſa virtus.
Otia ſic vitat venator: amatq́ue labores:
Torpere nec veterno,
Nec languere ſitu vires ſinit: ipſe libenter
Sudârit, alſeritq́ue:
Pernoctans gelidis in montibus: atque pruinis,
Et Solibus peruſtus:
Corporis vt duret vires: Martiq́ue ſubinde
Se præparet futuro.
Magnanimos hic magnanimus non extimet hoſtes
Venator, atque miles.

IIX.

Ad D. Othonem Henricum
Principem Palatinum, & Boium.

Cynthius eſt vatum, venantûm Cynthia præſes:
(Fabula ſic vetus eſt) frater hic, illa ſoror.
Quid mirum? ſtudijs operari me quoque Phœbus,
Et Phœbi quando, Dux generoſe, jubes.
Cynthia ſed præſtò tibi ſit, mihi Cynthius: vnus
Sic fuerit voti quiſque repenè ſui,
Sic felix, celebriſque ſimul venatio noſtra
Forſan erit: virtus carmine viua manet.